



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Elisabetha regina quomodo Hiberniae imperio potita sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

DE HIBERNIÆ REGNO, AC BELLIS IN
eo ob religionem gestis: deque statu Ecclesiæ,
& persecutionibus contra Catho-
licos excitatis.

CAPUT VICESIMUM.

A R G V M E N T V M.

- I. *Elisabetha regina quomodo Hiberniæ imperio potita sit.*
- II. *Vulgus apud Hibernos ad conciones hæreticorum vi cogitur, nobilitati interim Catholicæ religionis exercitium domi conceditur, ad confusionem hæreticorum.*
- III. *De Ultonia provincia, & præcipuis ejus magnatibus.*
- IV. *De Momenia, & seditionibus in ea excitatis.*
- V. *De Connacia, & miraculis quorundam martyrum in Hibernia.*
- VI. *Patricii Ocheii Episcopi sanctitate conspicui martyrum, &c.*

Equidem nihil magis cuperem, quàm lectoris animum tam frequenti atque injucunda incredibilium crudelitatum mentione hætenus defatigatum & attonitum, in fine hujus Historiæ aliquo modo recreare, ac veluti novo aliquo sole præteritam tempestatem rursus serenare. Quis enim tanta tamque immania facinora & flagitia in miseris Catholicis designata legens, non dico frontem non caperet, sed demisso vultu, quantum potest, fugiat, & horum frontem hæresim detestetur? Sed me miserum! Quocumque me verto, nihil nisi tristissima queq; & nescio an illis supra recitatis pejora occurrunt: adeo ut quo calamum meum intingam, nihil videam nisi sanguinem piorum martyrum: nec ulla verba quibus narratio hæc absolvam, reperiam, quam equuleos, fideulas, ferrum flammam representantia. Ac quamvis non invitus infelici illa terra pedem extulerim, oramque Angliæ soliverim ut merito jam inimicas atque infestas Catholicæ religioni terras exhorreere debeam: facere tamen non possum, quia in proximam insulam Hiberniam vela faciam cursumque dirigam, ut & quæ ibi hæresis paravit, vel saltem centesimam eorum partem lectori ostendam. Hic vero ego nequaquam cum Homero sentire me profiteor, qui in principio suæ Iliados ita canit:

*Non curant humana dii, nec quisquis in alto
Est positus quæ sunt infra se respicit, expers
Sed curæ, placidus tranquillum transigit ævum.*

Non ita, inquam, Domine: sed tuam agnoscimus manum, peccata nostra hoc modo punientis, & regna Mundi pro liberrima tua voluntate disponentis. Tu enim infelix illud Anglicanum regnum, velut pro derelicto hætenus habuisti, quod quidem tandem sub gravissimo omnium malorum onere gemit, donec tua expiata indignatione, bellum Ecclesiæ facere cessabit, & à sanctorum cædibus & persecutione abstinebit. Diligenter quidem scriptorem aliquem investigavi, qui omnem regni hujus historiam (quantum quidem ad nostrum institutum attinet) accurate persequutus esset, aut coram ipse singula vidisset atque annotasset: quia vero talem nunciari non potui, pauca modo perstringemus; ac velut olim Magellanus terræ Australis antarcticæ, sic nos regni hujus oras tantum legemus, ac de longinquo inspicimus. Equidem ea tantum hic narrabo quæ ex sacerdotibus nonnullis ob Catholicam religionem ex Hibernia profugis, audivi.

Hibernia dividitur in quatuor partes seu provincias principales, Ultoniam, Connaciam, Momeniam, Lageniam: quibus aliqui quintam addunt, Mediã; quod in medio Insulæ sita est. Hæc quidem etsi omnes tam natura quam artibus & præfidiis satis munitæ sunt: sola tamen Ultonia Anglorum armis invicta hætenus restitit, immò & ab iisdem præclaras victorias reportavit Elisabetha sane in populis his subjugandis omnia extrema remedia adhibuit: sæpius tamen fraude quàm viribus usa. Sed frustra alia arma ab hæreticis, quibus pugnent, requiras. Illa enim quam primum prælio victam se, suaque res profligatas animadvertit, pacem Catholicis quibus vellent conditionibus indulgere: deinde promissis duces duxit atque illece, ac tandem Londinum perductos, capite truncari iussit. Illud tamen non sine divino miraculo factum videtur, quod quascumque etiam vires in universo hoc regno expugnando & sub jugum mittendo adhibuerit, sæpius tamen exercitus bene ordinati, & quidem ab hominibus sine ullo ordine fere pugnantibus, victi sint.

Sed illud lōge mirabilius est, [b] quod etiã armis

[a] Quomodo Elisabetha Hiberniæ imperium acquiserit. [b] Hiberni Catholicæ religionis tenacissimi, & jusque exercituum Nobilibus permissum.

Anglorum victi populi, ab hæresitamen hæctenus
vinci non potuerunt, sed hodieque in Catholica à
majoribus accepta religione constantissime per-
stant. Quis non miretur è tot populis vix unum
reperit qui non dico operam suam novo Evan-
gelio annunciando impendat (quod illi in gentili-
bus suis desistantur) sed qui Protestantium concio-
nes frequenter, nisi coactus? Nobiles certe Hiber-
ni, qui in procerum Anglorum aliquod regni mu-
nus administrantium sunt comitatu; dominos ad
templi usque portam comitantur, minime tamen
ingrediuntur, sed inde ad suam quisque domum
se confert, sacris ibi patrio & Catholico ritu o-
peraturus. Nec mirum tam altas in Hibernorum
animis Catholicam religionem egisse radices,
quum regnum hoc inter pauca unum sit quæ
Christianam fidem prima susceperunt, nimirum
Anno CCCXXXV regnante apud Scotos Fin-
chomarcho rege. Et hoc quidem mulieris Piæ
cujusdam opera, quæ reginæ insinuatâ Anno
CCCXXII. Christi nomen illi mirifice prædica-
vit reverendumque effecit: Regina Regem docuit,
Rex autem universum populum ad sacrosanctum
baptisma suscipiendum disposuit: circiter dictum
annum CCCXXXV. Ex eo tempore gens hæc
quantumvis fera, castissime tamen Catholicam
religionem semper coluit, & magna ex parte ad-
huc colit, Nobilitas præfertim, quæ non in oppi-
dis, sed ruri passim in arcibus & castellis habitat.
Sed hæretici non templis tantum Catholicos,
verum etiam ipsi Sanctis, sub quorum nomine
& patrocinio Deo consecrata sunt, spoliaverunt.
Narrat Reginaldus, quum Henricus VIII Angliæ
rex instituto contra S. Thomæ Cantuariensis ma-
nes processu, nomen ejus è Sanctorum catalogo
eradere conaretur, & Edicto illo in Hiberniam
perlato, loci cujusdam Episcopus regi morem
gesturus, Ecclesiæ quæ in honorem dicti S.
Thomæ consecrata fuerat, nomen mutare, ei-
que aliud indere veller: populum vehementer in-
dignatum, ut apud quem illè ob multiplicia acce-
pta beneficia, in magna esset veneratione, Episco-
pum accessisse, & quemnam Sanctorum S. Tho-
mæ surrogare veller quæsisse. Quum ille Petrum
& Paulum respondisset, tum universos clamasse:
Quid ergo futurum, si hos quoque è Sanctorum
delere catalogo regi libebit? Tum Episcopum res-
pondisse: Ergo SS. Trinitatis patrocinio eam com-
mendabimus, quod nomen sacrosanctum & vene-
rabilè est & semper erit. Sed quid dicturus fuerat

hic Episcopus, si quis eas blasphemias quas Cal-
vinistarum hæresiarcha & antesignanus passim in
libris suis, sed imprimis in eo qui inter ipsos,
tamquam Christianæ doctrinæ Summa, immo
norma habetur, Institutiones dico, contra illam
ipsam sacrosanctam Trinitatem effundit; ubi et-
iam usitaram illam in Catholica Ecclesia præva-
tionem. *Santa Trinitas, unus Deus miserere nostris*
impie irridet, ipsi objecisset? Vt acceam in finibus
alios, quantum ad Trinitatis articulum, atheis-
mos, quos Sanctius & Fevardentius multis pro-
bant & declarant. Ecce tibi stultitiam vel insu-
niam potius eorum qui à diabolo seducti sunt! Ec-
ce impietatem eorum qui dum Ecclesiam reformare
volunt, omnia deformant, & novam multi-
plicium errorum & blasphemiarum Babylonem
condunt! Porro in hoc regno, postquam ab Elisa-
bertha subjugum veluti missum fuit, etiamnum
pauci admodum Ministri sive Prædicantes novi
Evangelii reperiuntur, qui in ipsa insula nati
sunt Illa enim ad propagandam, cujus Defensatri-
cem se fert, doctrinam, non Curiones tantum in
pagis, sed Episcopos etiam per dioceses (quæ toto
regno quinquaginta sunt) constituit, & insula ac
pedo donatos, ovisibus præficit. Opulenter & re-
galè missionem! O superbam & authenticam
Prælaturam! quæ ad Apostolicam illam (si diis placet)
conformata, sæcularem Principem habet ac-
torem; & eum quidem, qui ut cum legitima uxore
facere possit divortium, cum Christi sponsa
Ecclesia divortium facere non dubitavit. Illud
vero Anglicanis illis Ministris incommodis-
simum accidit; quod etiam si longissimos ad Hi-
berniam populum habeant sermones à paucis ta-
men quæ dicunt intelligantur: quum Hibernicæ
dialectus ab Anglicana non minus differat quam
Vasconum à Francorum lingua. Sed ab acutis ho-
minibus excogitata est ratio qua huic incom-
modo mederentur. Habito enim à Ministro sermone,
interpres quidam surgit, & quæ ille dixit, plera-
que auditoribus Hibernicæ lingua repetit atque
exponit. Sed quam fideliter putas? quam aptè
quam verè? Quod vel unum testimonio est, in
quantis angustiis nova illa versetur religio, &
quam exiguis finibus circumscriptur. Quamvis
autem Hibernicæ vulgus ad conciones ejusmodi
non gravate accedat, nemo tamen ex omnibus est
qui de Beata Virgine Maria, vel de alio quocum-
que Sanctorum, & imprimis de S. Patricio, quem
tamquam patronum venerantur, contempsim